

CAPUT XI.

DE DIE COMMEMORATIONIS OMNIUM FRATRUM
NOSTRORUM DEFUNCTORUM, 5 OCTOBRIS.

1508. Die 5 Octobris, vel die sequenti non impedita festo duplici maiori, fit Commemoratio omnium Fratrum nostrorum defunctorum. Dicto ergo ad Vesperas solemnitate S. P. N. Francisci Ψ . *Benedicamus Domino*, inchoentur statim Vesperae Defunctorum ritu duplici pro Fratribus nostris defunctis, in quarum fine dicuntur preces flexis genibus sine Ps. *Lauda anima mea*, surgente Hebdomadario, qui est Superior, ad Orationem *Deus, veniae largitor* etc., quam dicit sub longiori conclusione, omissis verbis *propinquorum* et *benefactorum*; Antiphona finalis B. M. V. omittitur, ni statim sequatur Completorium, in cuius fine semper dicitur.

1509. Cum incongruum sit festiva simul et funebria misceri, idcirco tumultus in medio Ecclesiae erigatur post Completorium, expletis sacris functionibus solemnitate S. P. Francisci, simulque Altare maius exspolietur omni ornatu, appositis pallio et conopeo violacei coloris, si adsit SS. Sacramentum¹, alias solo pallio nigro², sex candelabris cum cereis, in quorum medio peralta Cruce, sine floribus, hermis vel imaginibus cuiuscumque generis. Suppedaneum tantum tapeti violaceo insternatur.

¹ S. Rit. C. 1 Decemb. 1882, in una Nesqualien.

² S. Rit. C. 20 Mart., in una Montis Regalis, ad 12.

1510. Omnes Missae hodie, excepta conventuali, quae esse debet de Officio occurrente, celebrentur de Requie, dummodo applicentur pro Fratribus defunctis, et dicatur prima in ordine Missalis cum unica Oratione *Deus, veniae largitor* (et respondentibus Secreta et Postcomunione), omissis vocibus *propinquorum* et *benefactorum*, et dicitur *Sequentia*.

1511. De mane dicatur in Choro integrum Officium Defunctorum ritu duplici, cum precibus in fine Laudum, sine Ps. *De profundis*, cum Oratione ut heri ad Vesperas. Dum dicuntur Laudes, Sacerdos cum Ministris (si adsint) parentur pro celebratione Missae sollemnis, quae si in cantu et cum Ministris celebrari nequeat, celebretur saltem cum incensatione.

1512. Dicto in Choro, post Orationem *Requiescant in pace. Amen*, statim incipit Missa, qua finita Celebrans et Ministri (si adsint), facta in suppedaneo genuflexione in medio Altaris, si Sacramentum ibi asservetur (alias soli Ministri genuflectunt et Celebrans facit reverentiam ad Crucem), descendunt per gradus laterales in planum ad cornu Epistolae, ibique Ministri deponunt Manipulos, Sacerdos Casulam et Manipulum, induitque Pluviale nigrum. Subdiaconus, vel Clericus si Subdiaconus non adsit, accipit Crucem et medius inter Acolythos, qui antea candelabra cum candelis accensis sumpserunt de credentia, procedit in medium Presbyterii prope cancellos; Fratres omnes exeuntes a Choro candelas accensas in manibus tenentes per ordinem disponantur ad latera. Notandum, quod candelam accensam tenere non debent, neque Celebrans, neque Ministri: hoc enim tantum

praescribitur in processione, quae fit die Purificationis B. M. V. ¹.

1513. Si Fratrum sepulcrum fuerit in Presbyterio, Celebrans, quin veniat ad medium Altaris, stabit in latere Epistolae cum Diacono a dexteris, et a sinistris Clerico deferente vasculum aquae benedictae et aspersionum, ac Thuriferario cum thuribulo et navicula, versa facie ad Crucem; et statim Chorus incipit Responsorium *Qui Lazarum* etc., quod alternatim cantabitur, ut infra.

1514. Ad *Ÿ. Requiem aeternam*, qui non a Celebrante, sed a secundo Choro canendus est, advertat Celebrans, ne signet Crucem super pannum aut sepulchrum, sed cum repetitur Responsorium *Libera me, Domine*, etc. ponat incensum in thuribulo ², more solito cum benedictione, sed sine osculis. Cantato *Kyrie eleison*, Celebrans alta voce dicit *Pater noster*, quod secreto omnes complebunt; statim autem accepto aspersionum a Diacono, vel ab alio Ministrante (si Diaconus non adsit), qui levabit fimbriam dexteram Pluvialis, ter aspergit pannum, nempe in medio, ad dexteram et sinistram suam, ac restituto aspersionum et accepto thuribulo ter aequaliter thurificat. Reddito thuribulo Diacono tenente librum, iunctis manibus dicit alta voce: *Et ne nos inducas in tentationem* etc. ut infra n. 1516, et tandem Orationem *Deus, veniae largitor* etc. ut supra dictum est, sed cum conclusione brevi; et responso a Choro *Amen*, ipse solus dicit alta voce: *Requiem aeternam dona eis Domine*, manu dextera interim signum Crucis formans in aere super pannum (quod in fine

¹ V. Martinucci l. IV, c. IX, n. 12 et in nota: ac c. X, n. 20.

² Caerem. Episc. l. II, c. XI, n. 12.

Absolutionis semper faciendum est) ¹, et postquam responsum fuerit *Et lux perpetua* etc., cantatur *Ÿ. Requiescant in pace, R). Amen*, et statim ordinatur processio.

1515. Quod si Fratrum sepultura sit vel in alia parte Ecclesiae vel extra Ecclesiam, tunc Celebrans assumpto Pluviali, cum Diacono seu alio Ministrante a sinistris, procedit ad medium Altaris, et facta ab omnibus genuflexione, processio statim initiatur. Praecedunt duo Clerici, nempe Thuriferarius cum thuribulo et navicula a sinistris, et qui defert vasculum aquae benedictae cum aspersionum et librum a dextris; sequitur Subdiaconus seu Crucifer inter duos Acolythos deferentes candelabra; veniunt hinc Fratres bini ordinatim cum candelis accensis, ultimo loco Celebrans et Diaconus capite tecto et manibus iunctis, non enim Diaconus sustentat, neque Celebrans et Ministri deferunt candelas, uti dictum est. Si sepulchrum aut coemeterium aliquantulum distet, poterit durante itinere recitari Psalmus *Miserere* sine Antiphona, non tamen praescribitur. Cum ad locum sepulturae seu coemeterium perventum fuerit, fiat Absolutio, ut num. praecedenti, Celebrante contra Crucem stante, caeteris in gyro hinc inde dispositis.

1516. Hac Absolutione peracta, eodem ordine processio dirigitur ad tumulum erectum in medio Ecclesiae, ibique intonatur Responsorium *Libera me, Domine*, ut n. 1524. Ad *Requiem*, uti dictum est, Crucem non facit, sed Thuriferarius ipsi accedit pro immisione incensi in

¹ Missal. De Rit. celebrandi Miss. t. XIII, n. 4, unde haec omnia desumpta sunt.

thuribulum, quam facit dum repetitur Responsorium. Dicto *Kyrie eleison*, intonat *Pater noster*, et dum ab omnibus recitatur secreto, circumit tumulum, primum illum ter aspergens a parte Evangelii et ter a parte Epistolae, et aequali modo ter inde thurificat, aspersorium ac thuribulum ministrante Diacono aut Clerico, qui ipsum comitatur et dexterum limbum Pluvialis sustinet. Transeuntes ante SS. Sacramentum genuflectant: ante Crucem, sive Altaris, sive processionalem, Celebrans profundam inclinationem faciat, Diaconus vel alius Minister genuflectat. Celebrans ad suum locum reversus, restituto thuribulo, eadem peragit, quae numero supra citato dicentur, et dicit:

Ÿ. *Et ne nos inducas in tentationem:*

R). *Sed libera nos a malo.*

Ÿ. *A porta inferi:*

R). *Erue, Domine, animas eorum.*

Ÿ. *Requiescant in pace:*

R). *Amen.*

Ÿ. *Domine, exaudi orationem meam:*

R). *Et clamor meus ad te veniat.*

Ÿ. *Dominus vobiscum:*

R). *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Absolve, quaesumus Domine, animas Fratrum nostrorum defunctorum ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitati respirent. Per Christum etc. R). Amen.

Deinde solus Crucem formans super tumulum cantat: *Requiem etc.*; et dicto *Requiescant in pace. Amen*,

Celebrans voce aliquantulum demissa dicit Ÿ. *Animae eorum et omnium Fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace. R). Amen.*

Processio eodem quo venerat ordine regreditur ad Chorum vel ad Sacrarium, et interim, intonata Antiphona *Si iniquitates*, dicitur alternatim Psalmus *De profundis*: qui licet non praescribatur, nisi post Exequias super cadaver, attamen ex consuetudine semper dicitur, excepto die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, et confirmatur ex praxi Basilicarum Patriarchalium Romae¹.

1517. Si tres hodie faciendae essent Absolutiones, ut in aliquibus locis contingit, tunc ad secundam dicatur Responsorium: *Domine, quando veneris*, ut n. 1523; et peractis caeteris ut supra num. 1513 et seq., dicatur Oratio:

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, propitiare animabus Fratrum nostrorum defunctorum, et omnia eorum peccata dimitte, ut mortalitatis vinculis absolutae transire mereantur ad vitam. Per Christum etc.

1518. Si quis hodie obierit, celebretur pro eo altera Missa sollemnis, ut in die obitus praesente cadavere.

¹ Videatur Ordo Divini Officii Basilicarum Lateran. Vatic. et Liber. ad 2. Nov., ubi dicitur: « *Hodie tantum non dicitur Animae eorum, nec Psalm. De profundis etc.* »

CAPUT XII.

DE DIE COMMEMORATIONIS
OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

1519. Die secunda Novembris, vel tertia si secunda inciderit in Dominicam, fit in Ecclesia universali Commemoratio omnium Fidelium defunctorum. Die antecedenti, dicto *Benedicamus Domino* post Vesperas festi, dicuntur immediate Vesperae Defunctorum, ritu duplici ut in Breviario notatur, sine Psalmo *Lauda*, et cum Oratione *Fidelium*, quae longiori conclusione terminatur, et dicto *Requiescant in pace* ac responso *Amen*, nihil aliud superadditur. De mane omnes Missae dicuntur pro Defunctis, et legitur quae est prima in ordine cum unica Oratione et Sequentia: excepta tantum conventuali de Officio occurrente. Hora competenti dicitur Matutinum cum Laudibus, et statim Missa solennis Defunctorum, nisi Matutinum dictum sit in sero, quia tunc Missa dicitur convenientius post Horas parvas. Vide n. 1512.

1520. Secundum antiquam Ordinis nostri consuetudinem, hac die tres et etiam plures Absolutiones fieri solent. Prima ad Altare maius, ordinarie pro fundatoribus, seu pro eis, quorum eleemosyna Ecclesia erecta est; nisi ibi sit Fratrum sepultura, tunc enim Absolutio pro fundatoribus seu benefactoribus fiet ad ianuam Ecclesiae. Secunda ad sepulturam Fratrum; si alibi, sive in Ecclesia, sive in horto vel coemeterio Ecclesiae adiacenti. Ultima, quae universalis est pro omnibus Defunctis, fit ad tumulum in medio Ecclesiae erectum: quod

semper servandum est, quamvis etiam extra Ecclesiam plures Absolutiones faciendae essent. Ordo autem tenendus quoad Responsoria in Absolutionibus, convenit, ut sit, qui adnotatur in Caeremoniali Episcop. et habetur in Pontificali Romano ¹.

1521. Missa finita, et assumpto a Celebrante Pluviali, et omnibus dispositis ut n. 1512, nulla interposita prece aut Psalmo, immediate prima Absolutio faciendae est, uti praescribunt Missale, Rituale, Pontificale Romanum et Caeremoniale Episcoporum ². Dum Absolutiones fiunt, sono funebri pulsetur campana usque ad finem.

ABSOLUTIO I.

1522. Celebrans stans in latere Epistolae, facie aliquantum versa Cruci processionali, vel Cantor designatus intonat, et omnes alternatim cantant sequens

RESPONSORIUM.

I. Chorus. *Qui Lazarum resuscitasti a monumento foetidum,* Tu eis, Domine, dona requiem et locum indulgentiae.*

II. Chor. *Ÿ. Qui venturus es iudicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.*

I. Chor. *Tu eis, Domine, dona requiem et locum indulgentiae.*

II. Chor. *Ÿ. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.*

¹ Caerem. Episc. I. II, c. XI; Pontif. Rom. De Exequiis.

² Missale Rom. Rit. celebrandi Miss. XIII, n. 4: Rit. et Pontif. De Exequiis post Miss.

I. Chor. *Tu eis, Domine, dona requiem et locum indulgentiae.*

Dum a secundo Choro canitur *Ÿ. Requiem aeternam*, Thuriferarius, uti dictum est supra n. 1514, accedit ad Celebrantem, qui ponit incensum in thuribulo. Finito Responsorio, canitur a I. Choro: *Kyrie eleison*, a II. Choro: *Christe eleison*, ab omnibus simul: *Kyrie eleison*. Hinc Celebrans alta voce dicit: *Pater noster*, et ab omnibus secreto completur; et ipse interim, accepto aspersorio et facta Cruci processionali reverentia, ter aspergit pannum, et ter deinde thurificat, ut n. iam citato 1514. Postea accepto libro, vel illum sustinente Diacono aut alio Ministro, dicit:

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem:

R). Sed libera nos a malo.

Ÿ. A porta inferi:

R). Erue, Domine, animas eorum.

Ÿ. Requiescant in pace:

R). Amen.

Ÿ. Domine, exaudi orationem meam:

R). Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum:

R). Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Absolve, quaesumus Domine, animas famularum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resurrectioni respirent. Per Christum Dominum nostrum.

R). Amen.

Deinde solus Celebrans, signum Crucis efformans supra pannum, dicit

Ÿ. Requiem aeternam dona eis, Domine:

R). Et lux perpetua luceat eis.

Ÿ. Requiescant in pace:

R). Amen.

Si vero haec Absolutio prima sit pro Fratribus nostris, tunc Oratio erit: *Deus, veniae largitor* etc., ut in Absolutione sequenti.

1523. Completa Absolutione prima, ordinatur processio ut n. 1515, et cum perventum fuerit ad Fratrum sepulchrum seu coemeterium, aequali modo ut supra fiat

ABSOLUTIO II.

AD SEPULTURAM FRATRUM.

Celebrans stabit facie conversa ad Crucem, et ipse vel Cantor incipiet, et caeteri prosequuntur alternatim

RESPONSORIUM.

I. Chor. *Domine, quando veneris iudicare terram, ubi me abscondam a vultu irae tuae? * Quia peccavi nimis in vita mea.*

II. Chor. *Ÿ. Commissa mea pavesco, et ante te erubesco: dum veneris iudicare, noli me condemnare.*

I. Chor. *Quia peccavi nimis in vita mea.*

II. Chor. *Ÿ. Requiem aeternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis.*

I. Chor. *Quia peccavi nimis in vita mea.*

Dum. II. Chorus cantat *Ÿ Requiem*, Celebrans ponit incensum in thuribulo etc. ut supra, et cantato

Kyrie, dicit *Pater noster*, aspergit, thurificat sepulturam seu coemeterium, deinde dicit *Et ne nos inducas* etc. ut in Absolutione antecedenti, et tandem Orationem sequentem:

OREMUS.

Deus, veniae largitor, et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam: ut nostrae Congregationis Fratres, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum.

R). *Amen.*

Verumtamen, si Absolutio prima facta in Presbyterio fuerit pro Fratribus, et haec secunda ad sepulchrum vel coemeterium pariter pro iisdem, tunc Oratio erit sequens:

OREMUS.

Deus, fidelium lumen animarum, adesto supplicationibus nostris: et da famulis tuis Fratribus nostris, quorum corpora hic et ubique in Christo requiescunt, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per eundem Christum Dominum nostrum. R). Amen.

Postea Celebrans solus dicit *ψ. Requiem aeternam* etc., Crucem formans super sepulchrum etc. ut in Absolutione antecedenti.

Si autem unica pro Fratribus nostris fiat Absolutio ad Presbyterium tantum, secunda cum Responsorio *Domine, quando veneris*, fiet pro fundatoribus seu benefactoribus ad ianuam Ecclesiae. Subdiaconus aut Crucifer inter Ceroferarios stabit ad valvas Ecclesiae, facie

et Cruce versa ad Altare maius; Celebrans ad latus Epistolae, versus ad Crucem, ne terga vertat Altari: et hic canetur Responsorium ut supra, cum Oratione *Absolve*, ut in Absolutione prima. Quod si duae factae sint Absolutiones pro fratribus, tunc revertendo a coemeterio, aut a sepultura Fratrum, fiat pro fundatoribus seu benefactoribus

ABSOLUTIO III.

RESPONSORIUM.

I. Chorus. *Ne recorderis peccata mea, Domine, dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

II. Chor. *ψ. Dirige, Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam.*

I. Chor. *Dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

II. Chor. *ψ. Requiem aeternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis.*

I. Chor. *Dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

Caetera ut in Absolutione prima.

1524. Hisce peractis, processio dirigatur ad tumulum in medio Ecclesiae erectum, ibique fiat

ABSOLUTIO ULTIMA.

Subdiaconus seu Crucifer inter duos Ceroferarios, pergens per latus Epistolae, sistit se ad pedes tumuli contra Altare; Thuriferarius et Clericus deferens vasculum, qui Cruciferum praecedebant, sistunt ad caput tumuli in latere Epistolae; reliqui Fratres sequuntur Crucem, donec unusquisque in suo loco permaneat, ut

circulus compleatur, ita ut iuniores sint Cruci viciniore, seniores prope Celebrantem, et spatium maneat, ut Celebrans cum Diacono libere tumulum circumire possint. Celebrans cum Diacono manent ad caput tumuli, parum ad latus Epistolae, facie aliquantulum versa ad Crucem. Hinc Celebrans aut Cantor intonat, et caeteri alternatim prosequuntur

RESPONSORIUM.

I. Chorus. *Libera me, Domine, de morte aeterna, in die illa tremenda: Quando coeli movendi sunt et terra: * Dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

II. Chor. *Ÿ. Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira.*

I. Chor. *Quando coeli movendi sunt et terra: * dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

II. Chor. *Ÿ. Dies illa, dies irae, calamitatis et miseriae: dies magna et amara valde.*

I. Chor. *Dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

II. Chor. *Ÿ. Requiem aeternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis.*

Repetitur Responsorium: *Libera me, Domine, de morte aeterna, in die illa tremenda: * Quando coeli movendi sunt et terra: * Dum veneris iudicare saeculum per ignem.*

Ad *Requiem* Thuriferarius accedit ad Celebrantem, qui, dum repetitur Responsorium, ponit incensum in thuribulo. Deinde Chorus cantat more solito: *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.*

Celebrans: *Pater noster*, secreto.

Sub *Pater noster* aspergit et incensat tumulum, circumiens ut n. 1514; hinc dicit:

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem, etc. ut supra.

OREMUS.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

R). Amen.

Ÿ. Requiem aeternam dona eis, Domine:

R). Et lux perpetua luceat eis.

Ÿ. Requiescant in pace:

R). Amen.

Quibus persolutis, Fratres redeunt nihil dicentes ad Sacristiam, et cessat pulsus campanae.